



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Pactum absolutum, &c. parag. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

te conveniri secundum consuetudinem com-  
muniter usurpatam. Quod si neque hæc ad-  
sit, puto cum Virginio a solvi debere in loco,  
in quo voluerit Censuarius, ut in l. i. qui ff. de  
eo, qui certo loco, nam profecto rationabiliter  
solvitur pensio, ubi est res, vel prædium sub-  
jectum Censui, pensio enim est loco fru-  
ctuum, qui à re, non, nisi in loco, ubi est,  
producentur.

CAPUT IV.

De aliquibus pactis, quæ solent  
addi Censibus,

**P**ræmittendum est Primo, ad  
tiam Censui in conscientia, præ-  
tendendo à legibus positivis satis esse,  
adesse eas conditiones, quæ sunt de jure natu-  
re. Has autem ad duas reducit Lessius. b Pri-  
mo, ut sit æqualitas secundum æstimationem  
inter Censum, & pretium. Secundo, ut, quan-  
do aliqua gravamina hinc inde, præter natu-  
ram contractus, per pacta accessoria, impo-  
nantur, ea ex prudentis arbitrio debite  
compensentur, supponendo semper hujus-  
modi pacta, non esse destructiva ipsius con-  
tractus.

2. Præmittendum Secundo, universaliter  
loquendo, omnia pacta, quæ licita, sunt in  
cæteris venditionibus, & emptionibus rerum,  
licita esse, etiam in emptione, & venditione  
Censuum, quia ejusmodi pacta non tollunt, nec  
sunt contraria naturæ contractus Censuum.  
Neque dicas, posse apponi unum, non vero  
multa, ne id, inquam, dicas, nam si licitum  
est, ponere unum pactum, utique justum, li-  
citur erit, ponere multa item justa, dum mo-  
do contraria in se non sint, mutuoque se non  
destruant.

His præmissis, expendamus aliqua pacta,  
quatenus ex natura sua possunt addi licite, &  
sine injustitia huic contractui, nam, an  
ab aliqua lege positiva sint pro-  
hibita? erit cap. 5. disse-  
rendum.

§. I.

Pactum Redemptionis ante, vel post  
certum tempus.

1. **D**ico duo. Primum est, esse licitum emere  
Censum cum pacto, ut possit redimi  
à Venditore intra certum tempus, v. gr. intra  
sex annos, sed iis elapsis, & Censui non re-  
dempto, fiat Censui irredimibilis, Secundum  
esse licitum etiam, emere Censum cum pa-  
cto, ut Censui possit à Venditore redimi post  
aliquot annos, v. gr. post Sex, ut antea non  
possit. Ratio horum est, quia licitum est, emere  
Censum perpetuum irredimibilem, ut om-  
nes concedimus; ergo & redimibilem; nulla  
enim disparitas (posito pretio justo) afferri  
potest, ut supra vidimus: ergo licitum etiam  
erit constituere prædicta pacta. Probatur hæc  
ultima consequentia, quia nihil aliud faciunt,  
nisi, quod diminuunt de perpetuitate.  
Et quidem Jus redimendi; vel non redimendi  
Censum intra certos annos est pretio æstima-  
bile, cur ergo emi (secundum legem in contrarium)  
justè non possit?

2. Dixi (secundum legem) nam posterius pa-  
ctum ex dictis, quia habet speciem quandam  
usuræ, periculum illam palliandi, prohibuit  
Pius V. in Bulla modo dicta, & inferius  
citanda. Prius autem pactum aliqui cum Na-  
varra dicunt, non fuisse prohibitum à dicto  
Pio V. licet fuisse prohibitum teneat Bona-  
cin. e, cum quo sentio, quia una ex conditio-  
nibus à Pio V. positus est, ut Censui possit  
semper redimi à Venditore. Ita etiam tenet  
Delugo, f licet probabilem fateatur esse sen-  
tentiam Navarra.

c Mol. d.  
391. à n. 5.  
Val. T. 3.  
in 2. 2. d.  
5. qu. 22.  
p. 4.

d Navarra.  
Less. Mol.  
Salas ap.  
Delugo.  
e Bonac.  
Rebel. ap.  
eund. De-  
lug. n. 4.  
f Delugo  
d. 2. 7. de  
Just. num.  
112.

§. II.

Pactum absolutum Redemptionis ex parte Ven-  
ditoris, vel ex parte Emptoris.

1. **D**ico Primo, licitum esse emere Censum  
Realem cum pacto, ut idem Censui  
possit redimi, quando cunque voluerit, Ven-  
ditor redimere.

Hoc pactum approbatur, immò in omni  
Censu requiritur à Pontificibus Martino,  
Callixto, Pio, & probatur ratione, quia li-  
citur est, res alias vendere cum pacto, ut  
Emptor



Emptor illas teneatur revendere ad arbitrium Vendoris; ergo, & Censum. Nec est periculum usuræ, quia hoc non est mutuum, sed venditio, & emptio. Adde, in mutuo Mutuatarius obligari ad reddendam pecuniam mutuam, at Censuarium, qui est Venditor, non obligatur reddere pecuniam acceptam, sed solum, si velit, potest illam Emptori reddere, & sic Censum extinguere, ergo hoc non est mutuum.

2. Dico Secundo, licitum esse, emere Censum Realem cum pacto, ut possit redimi, quando voluerit Venditor, vel quando voluerit Emptor, quod est dicere, emere Censum ex utraque parte redimibilem.

3. Hoc pactum, licet propter similitudinem cum usura sit à Pio V. prohibitum secundum proportionem fori externi, ut habet Medulla à Theol. alique tamen ex natura sua licitum est. Ita Less. b & Valent. c qui addit 3. r. 5. c. 3. Romæ in Consultatione, cui ipse interfuit, à d. 9. n. 7. Viris doctissimis id fuisse probabile iudicatum. Probatur autem, quia qui emit Censum Realem redimibilem solum ex parte Vendoris, modo dicto numero primo in priori pacto, quod omnes approbamus, v. g. qui centum aureis emit Censum quinque aureorum, non videtur illicitè agere, si post dictum Censum constitutum, seu post celebratum jam contractum cum priori dicto pacto, deinde de novo pacifatur cum eodem Venditore, ut Venditor non solvat quinque, sed quatuor, cum pacto tamen, ut non possit redimere dictum Censum, nisi, quando voluerit ipse Emptor, non videtur, inquam, agere illicitè, quia illud onus satis compensatur ab ea diminutione Censum. Ergo, quod licitè sit per duos contractus, potest fieri simul in uno, quando jam erit casus posterioris pacti, de quo loquimur, nam plures licitos contractus simul exercete, illicitum non esse, docemus ex d. C. un. de Jure d. passim omnes.

4. Ex his tamen vides, quando apponitur ejusmodi pactum, debere compensari hoc onus, & consequenter debere Censum emi majori pretio, secundum, quod prudens vir existimaverit.

5. Dico tertio, si ponatur pactum, maxime in Censu mere Personali, ut solum tunc possit redimi Censum, quando voluerit Emptor, valde suspectum illud esse, quod usura committatur, licet in rigore, si hoc tantum onus justè

compensetur ab emente, non videatur ex natura rei Usurarius, quia tamen nolumus illum in praxim deducere, satis sit id innuisse, & videri poterit Valentia, & qui testatur nulum Doctorem id in Censu mere Personali concessisse.

## §. III.

*De pacto solvendi pensionem, etiam si res illi subjecta pereat.*

1. Ratio dubitandi, cur id pacisci non possit, est, quia contractus Censualis intrinsecè postulat, ut, pereunte re (cum tunc pereat, & fructus) pereat, & Censum.

Nihilominus dico, hoc pactum esse quidem præter naturam contractus Censualis; non verò esse contra, quasi ipsum Censualem contractum destruat: Quare dico, seclusa lege positiva, esse licitum ex natura sua, (licet non negem; esse dissuadendum propter periculum usuræ.) Ita Valentia l. c. & Lessius. item cit. Et Valentia quidem ait, hoc idem censuisse illos Doctissimos in ea Consultatione, de qua in præced. §. meminimus nu. 3. Ratio autem, quod liceat, est. Tum, quia, sicuti in aliis contractibus potest adjici hoc pactum, ita in casu nostro, dummodo tamen hoc onus, quod imponitur Venditori, compensetur augendo pretium Censum, vel, quod in idem recidit, dummodo minor pensio designetur. Tum, quia hic sunt duo contractus implicitè, alter constitutionis Censum, alter, quo Venditor Censum constituitur Fidejussor pensionum solvendarum.

2. Hinc vides, hoc pactum posse tutius reduci ad pactum assicurationis, ut, si res, in qua Censum fundatur, pereat, damno Vendoris pereat, qui sit obligatus, vel pretium totum reddere, vel super alia sua bona Censum constitutere. Sed, ut dixi, debet compensari tantum onus, quod Venditori imponitur. Et quidem in nostro Regno, ejusmodi assicuratio in ipsa fundatione Censum solet apponi per illam clausulam (*Et super omnia bona, &c.*) idque concessit Nicolaus V. ut paulo post videbimus, dum concessit, posse apponi omnia pacta, utique, præter ea, quæ sunt contra substantiam contractus.

3. Atque ex his, & aliis oneribus, quæ in foundationibus Censuum in Sicilia solent addi

a Medul.  
Theolog. l.  
3. r. 5. c. 3.  
d. 9. n. 7.  
b Less. l. 2.  
c. 2. 2. dub.  
10.  
c Val. T. 3.  
in 2. 2. d.  
5. quæ 2. §.  
p. 2.

d C. un. de  
commo-  
dato l. 1. ff.  
de Deposi-  
to.